GREGORIUS DE SCLAVONIA. LEGENDAE SANCTORUM. MELLICENSIA. CALENDARIUM
Melk, 1460 und um 1460 Seite 82r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=41510
Copyright: Melk, Benediktinerstift



ad me effundant abstinere curent Qua propter iura
canonice vite cuius occasione hucusque tanta hic ne
gligentia hic extitit destrue. et monastice vite hic
instrue disciplinam ¶ Item dum quadam vice in superiori
monasterio more solito adveniens sacram missam
celebrare vellet / quasdam sanctorum reliquias in ipsius
altaris in quo celebraturus erat cornu sinistro posuit.
ipse quoque se in orationem prosternens cum lacrimis / a deo pe
tivit. ut quod secularem vitam sinistra / spiritualem vero
designat pars dextra / si sibi placeret illic canonica
institutio permutari et monastica vita institui taliter
revelare dignaretur. ut scilicet antequam missam sacram cele
brandam consumaret / easdem reliquias a sinistro cor
nu altaris in dexteram nutu sue gracie transfer
ret. Finita itaque oratione cum sacram missam celebrare
cepisset. predicte reliquie sine omni humano contactu de
sinistra in dextram altaris partem celitus sunt delate
Huiusmodi igitur miraculis et visionibus vir dei ro
boratus / tam studiose et laudabiliter predicta monaste
ria in regulari vite professione et castitatis religio
ne innovavit. ut cuncte virgines ibi deo servientes
inter alias sanctimoniales speculum viderentur Earum
etiam collegio / dux henricus pater henrici impe
ratoris filiam suam Brigidam coniunxit deo ibi servien
tem perpetuo servituram ¶ Canonicorum etiam ordinem quem
valde ibi destitutum invenit. omni industria studuit emen
dare. primo ordinans ut sufficientia vestitus et victus